

Saluo meliori iudicio. Propositiones, in quibus agitur de Dei providentia et præscentia, ac de diuino ad peccatoris conuersionem auxilio, quæ doceri prohibita sunt in Castella, sancti officij decreto, in libro cui titulus est, Concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, continentur; aut eisdem ferè verbis, aut in eodem planè sensu: vt ex sequenti propositionum cum ipsius libri scriptis collatione, fiet manifestum.

1.^a Propositio: Deus non omnes actus bonos morales prouidit in singulari, nec prædefiniuit, vt fierent hic et nunc: sed solum prouidit Deus illos determinandos à libero arbitrio natura

4.^a Propositio est, Aliqua bona fiunt in tempore à nobis, quæ non sunt prouisa à Deo.

5.^a Propositio, Deus non prouidit, nec determinauit numerum omnium rerum singularium, v. g. bouum, et formicarum etc.

Harum propositionum doctrinam docet libri autor. q.^o 22. ar.^o 4.^o pag. 379. Vbi ait: Illud igitur in primis nulla ratione admittendum est, effectus omnes, qui in hoc mundo eueniunt, prouisos esse à Deo, vt ita fierent, præparassetqz illis causas, vt ita euenirent, voluissetqz voluntate, vel efficaci, vel absoluta, vt ex certis causis ita euenirent. Propositionum, inquam, doctrinam his verbis docet, nam qui asserit, non omnes effectus prouisos esse à Deo, asserere videtur, non omnes actus bonos morales prouidisse, vt habetur in prima propositione. Et aliqua bona fieri à nobis, quæ non sunt prouisa, vt habetur in 4.^a nisi dixerit se loquutum de alijs effectibus, qui actus morales, aut bona opera non sunt: quod apparet non esse autoris mentem, ex eius doctrinæ intentione, libriqz contextu. de actibus enim moralibus præcipuus sermo est, et de operibus bonis. Et cum effectus aliarum quoqz rerum videatur comprehendisse, et hos dicat non esse prouisos à Deo, consequitur sensisse, numerum omnium rerum singularium non esse prouisum, nec determinatum à Deo, vt habetur in 5.^a propositione.

3.^a Propositio est. Deus præsciuit me loquuturum, non quia prædefiniuit, vt ego loquerer, sed quia ego eram loquuturus, ideo præsciuit me loquuturum.

Huius propositionis doctrina habetur. q. 14. ar. 13. disp. 49. pag. 322. Vbi sic scribitur, Non

ideo liberum arbitrium creatum facturum esse hoc potius quam oppositum, quia Deus id
præsciuit, sed è contrario, ideo Deum id præsciuisse, quia liberum arbitrium, pro sua
innata libertate, id erat facturum. Et in margine scriptum est clarius: Liberum arbi-
trium creatum non ideo efficit hoc vel illud, quia Deus id præsciuit, sed ideo Deus præsci-
uit, quia ita liberè erat futurum. Et in q^o 22. ar^o 4. pag. 384. cum loqueretur de con-
ciliatione euicabilitatis effectuum liberorum, cum Dei providentia, caput eius rei esse
dicitur: Quia non ex eo quod Deus præsciret effectus, ita euenturos esse, ideo euenirent,
sed è contrario, quia illi pro libertate arbitrij, ita sunt euenturi, Deus id præsciret.
Inter propositionem et libri autorem hoc tantum est discriminis, quod autor libri in com-
muni loquitur de quocunq; liberi arbitrij opere, cum in propositione de opere loquutio-
nis sit sermo, veluti particulari adducto exemplo, ad explicandum, quod generaliter
in libro scriptum est.

Et cum autor providentiam, quæ coniunctum habet velle, seu voluntatem, excludit ab
actibus moralibus, non enim credit (v. g.) me loqui, quia Deus providit me loquuturum,
consequitur vt non credat me loqui, quia Deus me loqui voluit, vt habetur in 2^a prop^o.
Et cum ita excludatur Deus ab operatione libera, vt eam per providentiam non velit,
excluditur etiam, vt eius operationis causa non sit, nec determinet voluntatem huma-
nam, ad operandum, vt habetur in 6. et 7. prop^o. Et re bene perspecta ex autoris sen-
tentia omnes simul propositiones facili opera, deduci possunt, cum verè eandem doce-
ant doctrinam.

10. Propositio, quæ de diuino agit auxilio, hæc est. Ex duobus hominibus iniustis, cum
æquali auxilio Dei, vnus agit poenitentiam, seu conuertitur, et iustificatur, Et alter
manet in peccato.

Hoc ipsum docet libri autor. q. 14. ar. 13. disp. 12. pag. 52. Nam etsi prius loquatur de
conuersione hominis infidelis, deinde hoc etiam docet, de conuersione peccatoris fide-
lis ad poenitentiam. Quare, inquit, fieri potest, vt duorum qui æquali auxilio inte-
rius à Deo vocantur, vnus pro libertate sui arbitrij conuertatur, et alter in infidelita-
te permaneat. Et in margine sic scriptum est. Vocatorum æquali auxilio fieri po-

test, ut unus conuertatur, et alius non. Et cum hanc doctrinam fusius explicet in ijs quæ sequuntur, tandem ait pag: 54. Idem quoque dicendum est, de conuersione peccatoris iam fidelis ad poenitentiam.

12. *Propositio est.* Auxilium, quod sufficiens dicitur, illud idem aliquando, ea ratione vocatur efficax, quod homo illo præueniente utens, cooperatur ad effectum: Unde stare potest, duos præueniri homines, æquali gratiæ auxilio, quorum alter nihil cooperetur, quia non vult, alter vero cooperetur, cuius cooperatio principaliter reducit in gratiam.

Huius propositionis sententia scribitur in libro. q. 14. ar. 13. disp: 38. pag. 232. Quo fit, inquit, ut diuisio sufficientis auxiliij, in efficacem, et inefficacem, nostra sententia ab effectu, qui simul ab arbitrij libertate pendet, sumatur: illudque auxilium sufficiens, siue maius siue minus in se sit, efficax dicatur, cum quo arbitrium pro sua libertate conuertitur. Et paulo post, eandem doctrinam prosequutus, in margine scripsit. Auxilium sufficiens efficax, aut inefficax esse, ab arbitrio eius, cui præstat, pendet. Et ex hac sententia consequitur, quod in. 11. propositione assertum est. Nam cum de auxilio sufficienti loquatur ait: nec ut tale auxilium recipiatur semper in homine, oportet quod sit efficax, secundum peculiarem effectum. Videtur enim his verbis, auxiliij efficientiam seu efficacitatem, non in Deum conferentem referri, sed in hominis eo benevolentis arbitrium. Et quidem hoc aliqua ratione, moderatius quam ab autore assertum in prop. 12. cum dicatur; cooperatio cum auxilio cooperantis principaliter reduci ad gratiam. quod tamen in vltima propositione minus bene docetur, cum dicitur, ad iustificationem impij, non esse maiorem prædeterminationem ex parte Dei, quam ex parte voluntatis humanæ.

Tam est similis omnium illarum propositionum doctrina, ei quæ in libro docetur, ut eadē prorsus censenda videatur, ex eademque officina prodijisse.

